



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1746. usque ad  
Annum 1749

**Luxemburgi, 1753**

LXIV. Nova concessio privati Judicis in causis Cameræ Capitolinæ. 11.  
Decembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74761](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74761)



1748.

dum statuimus; eo maxime, quod, si scribentibus pro una aut altera sententia, hic finis propositus est, ut Ecclesiarum Antistes vel a petendo minuendorum Fessorum Indulto retrahantur, vel ad illud postulandum incitentur; tot sunt, quæ ad hunc diem in utramque partem scripta & dicta fuerunt, ut quilibet Episcopus satis in illis habeat, quo suum denique consilium capere possit, prout ad optimum Dicecesis suæ statum, & ad Dei gloriam magis expedire iudicaverit.

Decernitur propterea

I. Ne super Decreto huiusmodi quicquam scribatur.

II. Neque super Indultis concedendis, vel denegandis pro imminutione Dierum festorum.

III. Quæcumque scripta, antea iam facta, denuo non imprimantur.

Omnes ad huius Decreti observantiam teneantur.

Pœnæ contra inobedientes.

Quapropter Nos huiusmodi consilio adhaerentes, de Apostolicæ Potestatis plenitudine, presentis nostri Decreti vigore, omnibus & singulis infra scriptis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis infra statuendis, prohibemus primò, ne ullam huius Decreti explicationem, interpretationem, aut commentarium, nec multò minus ullum Librum, Dissertationem, Epistolam, seu alterius generis opus, quo Decretum ipsum sive directè, sive indirectè oppugnetur, edere aut publicare audeant. Secundò vetamus & interdiciamus, ne ullos in posterum Libros, Libellos, Relationes, Theses, Folia, Epistolas, vel alterius cuiuscumque generis Opera & Scripta, in quibus de imminutione dierum Fessorum de præcepto, aut de facultate concedenda, vel deneganda, ut audità Missa in nonnullis ministris principalibus anni Fests fas sit operibus servilibus vacare, sive ex professo, sive incidenter agatur, sive cum vero, sive cum ficto Auctoris nomine, sive sub alieno, vel etiam sine alicujus nomine, Typis imprimere, vulgare, seu alia quacumque ratione in lucem edere præsumant. Tertiò quæcumque ad hunc diem hac super re edita fuerint Opera & Scripta, iterum prælo subijci & recudi, multoque magis nova Folia, Opera, Epistolas, Dissertationes, aliaque præmissa, post hæc, sub anteriori datâ, fraudulenter imprimi, aut publicari, similiter prohibemus; Decernentes, quæcumque huiusmodi Opera & Scripta, in spretum, & fraudem presentis Decreti, imprimi de cætero forsan, vel alias, ut supra dictum est, in lucem prodire contingat, ea omnia & singula, absque alio examine, & in pœnam inobedientiæ & contumaciæ, in Indicem Librorum prohibitorum quamprimum referri. Huius autem Decreti lege omnes & singulas cuiuscumque status, gradus, conditionis, & dignitatis Personas Ecclesiasticas & Seculares, & cuiuscumque Ordinis, seu Congregationis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, & Militiæ Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, aliorumque etiam specialem & individuum mentionem requirentium Ordinum, Regularum, aliosque Ecclesiasticos quoscumque, etiam Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali dignitate fulgentes, & S. R. E. Cardinales, æqualiter teneri, & expressè comprehendendi, decernimus, & declaramus. Contravenientes verò, præter Librorum & Operum prohibitionem, ut præfertur, si quidem Laici fuerint, in excommunicationem majorem latæ sententiæ, a qua nemo, præter Nos, & Successores Nostros Romanos Pontifices, nisi in mortis articulo, ipsos absolvere valeat; Ecclesiasticos autem usque ad Sacerdotalem gradum inclusivè, pœnam suspensionis a divinis; in Superioribus verò gradibus constitutos, suspensionis ab exercitio Pontificalium, & a perceptione fructuum suorum Beneficiorum, Pensionum Ecclesiasticarum, Monasteriorum, Episcopatum, & Archiepiscopatum, aliorumque Ecclesiasticorum reddituum quorumcumque, quarum pœnarum relaxationem, & respectivam rehabilitationem, Nobis, & Successoribus Nostri Romanis Pontificibus privatè reservamus, ipso facto, absque alia declaratione, incurrere decernimus & sancimus. Præterea Typographos & Bibliopolas, qui Libros, Scripta, au Folia

hujusmodi, contra Decreti Nostri legem, Typis imprimere, aut recudere, seu vulgare & vendicare ausi fuerint, omnibus & singulis pœnis tam pecuniariis, quàm corporis afflictivis, quæcumque statutz sunt adversus eos, qui Libros prohibitos imprimunt, aut evulgant, sive venales proponunt, subjacere, & re ipsa multari & plecti volumus, & mandamus.

Ut autem nemo de præmissis ignorantiam allegare aut prætereendere possit, volumus & mandamus, hoc ipsum Decretum, seu illius exempla, ad valvas Basilicarum Urbis, Cancellariæ Apostolicæ, Curiazque Generalis Innocentianæ, & in aliis solitis locis ipsius Urbis, per Cursores Nostros publicari & affigi; atque ita publicatum & affixum, omnes & singulos perinde afficere, & arcere, ac si unicuique personaliter intimatum, & notificatum fuisset; Ac præterea ipsius transumptis, seu exemplis, etiam impressis, cuiuscumque Notarii publici manu subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutz munitis, parem omnino fidem ubique locorum ab omnibus haberi, ac si Decretum ipsum Manu nostra subscriptum ipsis foret exhibitum, vel offensum.

Datum Romæ in Palatio Apostolico Quirinali die XIV. Novembris MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Publicat. per Magistrum Cursorum more solito in Urbe die 16. Novembris 1748.

Nova Concessio Judicis privati in causis Camerae Capitolinae.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Sincera fidei, & devotionis affectus, quem dilecti filii Conservatores Almae Urbis Nostre in Nos, & hanc Sanctam Sedem gerere comprobantur, Nos inducit, ut eos specialis favore gratiæ prosequamur. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni Conservatores Urbis prædictæ, quod alias fel. rec. Innocentius Papa XII. Prædecessor Noster, postquam quamdam suam Constitutionem super suppressione, abolitione, & abrogatione quorundam Tribunalium, & nonnullorum Judicium peculiarium editam die IX. Septembris MDCXCII. publicaverat, per suum Chirographum Motus proprii expeditum, & manu propria signatum, omnia, & singula privilegia, & prærogativas, quibus Conservatores prædicti usque tunc gavisi fuerant, & ad illos spectabant, & pertinebant, præsertim quoad facultatem, & prærogativam nominandi, constituendique unum Romanæ Curiaz Prælatum in Judicem privativum Camerae Capitolii, qui omnes causas, activas, & passivas, in quibus ipsa Camera Capitolii jus vel interesse habere posset, privatè cognosceret & definiret, prout Conservatores pro tempore existentes ab antiquo tempore, nempe a Pontificatu fel. rec. Pauli II. Prædecessoris itidem Nostri constituere, & nominare consueverant, ut ex antiquo Almae Urbis prædictæ statuto lib. 3. cap. 2. haberi assereretur, de novo concessit, seu confirmavit, ac insuper eisdem Conservatores in sua Constitutione hujusmodi, quoad facultatem nominandi Judicem hujusmodi, minime comprehensos esse declaravit, quam quidem facultatem rec. mem. Clemens Papa XII. Prædecessor quoque Noster per aliud simile suum Chirographum motus proprii signatum die XXIII. Novembris MDCCXXXI. de novo concessit, & tunc, & pro tempore existentes Conservatores prædicti quamplurimos

Romanæ

1748.

Publicatio in Urbe peracta tribuitur speciali immunitatis omnibus facta.

Exemplis fides tribuitur.

Dat. Pont. ann. 9. die 14. Novembris 1748.

LXIV.

Proœmium.

Innocentius XII. qui Judices particulares sup. presserat.

Judicæ Camerae Capitolinae a suppressione exemit.

Clemens XII. Conservatoribus Urbis facultatem dicti Judicem nominandi confirmavit.



1748.

Quia tamen dubitari potest, ne facultas hujusmodi per Constitutiones Pontificis sublata fuerit.

Ideo Pontifex attendens antiquum & recentius Urbis statutum.

Et consuetudinem, in qua reperiuntur Conservatores.

Dictam facultatem de novo concedit.

Judici deputato communicat facultates opportunas.

Statuit, quod ab ejus decretis appellari nequeat, sed tantum peti commissio &c.

Quodque habeatur tantquam Judex Ordinarius.

Clausula.

Romanæ Curie Prælatos unum in locum alterius vel defuncti, vel ad Cardinalatus dignitatem promoti, semper & usque nunc nominare & eligere perrexerunt. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes vereantur, ne prærogativa hujusmodi per bisas Nostros die xxvii. Februarii MDCCXLII. super abolitione, & xxi. Decembris MDCCXLV. super reformatione Tribunalium editas Constitutiones eis ablata sit, ac proinde facultatem hujusmodi per Nos confirmari, seu de novo concedi plurimum desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existant, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, inhærentes antiquo statuto Almæ Urbis prædictæ anni MCCCCLXVI. lib. 1. cap. 12. & lib. 3. cap. 11. & cap. 25., nec non alteri statuto anni MDXIX. lib. 1. cap. 12. & cap. 36., ac denique uniformi observantiæ centum propemodum annorum; eidem modernis, & pro tempore existentibus Conservatoribus dictæ Urbis, ut ipsi in Judicem Cameræ Capitolinæ unum ex Prælati Romanæ Curie Civem Romanum, qui tamen Magistratum, sive Officium inire nequeat, nisi postquam a Nobis, seu Romanis Pontificibus Successoribus Nostri, mediante Nostro, & Successorum prædictorum speciali rescripto, eoque actis publicis prædictæ Curie inserto approbati fuerint, eligere, & nominare possint, & valeant, facultatem auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus; eidemque Prælato sic, ut præferatur, eligendo, nominando, & approbando, auctoritate, & tenore prædictis itidem concedimus, & impertimur omnes, & singulas facultates, quoad causas civiles tam activas, quam passivas, tam motas, quam movendas, in quibus Fiscus, & Camera Capitolina interesse aliquod habere possit, tum in prædictis antiquis statutis Judici Cameræ prædictæ, tum in Chirographo ejusdem Clementis Prædecessoris Prælati hujusmodi attributas, cum eidem juribus, & privilegiis, quibus in causis itidem Fiscalibus potiuntur, & gaudent Judices Cameræ Nostre Apostolicæ, & præsertim cum privilegio, quod ab ejusmodi Prælati in Judicem electi decretis, aut sententiis appellari nequeat, sed solum peti possit commissio appellationis, aut recursus ab audientia Nostri, & Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum; cum declaratione, quod ipse Prælati sic electus approbatusque, sit, atque esse intelligatur quoad causas supradictas Judex Ordinarius, atque ideo neque sportulas accipere possit, neque sub Constitutionibus revocatoris Judicum, & Tribunalium particularium hæctenus publicatis, vel in posterum quavis occasione a Nobis, seu Romanis Pontificibus Successoribus Nostri publicandis comprehensus censeatur. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Conservatoribus plenissimè suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter con-

tigerit attentari. Non obstantibus prædicta Innocentii Prædecessoris, ac Nostri super abolitione, & reformatione Tribunalium editis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Almæ Urbis, & Cameræ Capitolinæ hujusmodi, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentis, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Decembris 1748. Pontificatus Nostri Anno Nono.

D. Card. Passioneus.

Festorum dierum reductio in Regno Neapolitano citra Pharam & in Diocesis Messanensi & Panormitana.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis & Episcopis Regni Siciliae citra Pharam, nec non Messanensi & Panormitano Archiepiscopis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUM, sicut quædam sunt, ut inquit S. Leo Magnus Prædecessor Noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quæ dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum invenitur adversum: Ea propter hæc Sancta Sedes, pro paterna erga universos Christianos benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in his auctoritatem interponere, quæ cæteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigiditatem in nonnullorum cordibus caritatem, ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessarium inopiam, non sine conscientie angore contemnuntur. Cum itaque Charissimus in Christo Filius Noster Carolus utriusque Siciliae & Hierusalem Rex Illustris tum coram per se ipse, quum quatuor ab hinc annis Romam profectus est, tum sæpe alias per suos in Urbe Ministros id a Nobis studiosissimè efflagitaverit, ut pauperum calamitatibus sublevandis, qui opere faciundo victum lucrantur, sanctorumque dierum cultui, & Religioni amplificandæ, eorumdem Festorum dierum numerum imminuere dignemur: Nos in tanto negotio, nisi re tota sedulo perspecta, haud quidquam decernendum esse rati, id usque responsum dedimus: Nihil Nos de hujusmodi Ecclesiasticæ disciplinæ institutis prorsus immutatos, nisi per Archiepiscopos & Episcopos rogemur, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quique Domus Israël facti speculatores, quid ferant hominum, temporumque vicissitudines, cominus introspiciunt: Immo id in animum induxisse Nostri (si quid in hac re foret innovandum) affirmavimus, ut salva & incolumi, solemnioribus diebus Festis, veteri disciplina de audiendo Sacro, & a servilibus operibus vacatione,

1748.

Derogatio contrariis

Die Pontificatus Anno IX. die 11. Decembris 1748.

LXV.

Procurator

Rex utriusque Siciliae peritus Pontificis Festorum dierum reductioem.

Responsum Pontifici qui vota Episcoporum exquirere voluit.

iiidem